





FACULTATIS MEDICÆ DECANUS ³⁰
WILHELMUS HULDERICUS

Saldfschmiedt/ 1728,4

MED. DOCTOR ET PROF. PRIMAR. PHYSICÆ EXPERIM.
ORDINARIUS,

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

VIRI NOBILISSIMI ET CLARISSIMI

GEORGII KRYSINGII,

PRACTICI FLENSBURGENSIS,

DE

VULNERIBUS ARTERIARUM
IN ARTUBUS SÆPE FUNESTIS,
RARO LETHALIBUS.

PRO GRADU, ut vocant, SUMMISQUE
IN ARTE HONORIBUS, JURIBUS ET
PRIVILEGIIS

RITE MAJORUMQUE MORE OBTINENDIS.

DIE XVII NOVEMBR.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PUBLICE ET SOLENNITER HABENDAM,

PRÆVIA DECENTI INVITATIONE

INDICIT.

P. P. KILLÆ HOLSAT. DIE XIV. NOVEMBR. MDCCXXVIII.
SUB SIGILLO FACULTATIS.



enæ sectionem inter remedia majora refert
 GALEN. *comm. in aph. 2. 29.* & nemo est qui
 ignorat, eandem priscis æque ac hodiernis
 temporibus primum in classe generosorum
 mediorum locum obtinuisse, ita ut HERO-
 PHILO auxiliaris DEORUM manus audiat, si-
 ne qua multi morbi curatu admodum difficiles, imo lethales
 existerent. Et quamvis ERASISTRATUS venam secare
 in omni morbo prohibuerit, HELMONTIVS vero idem in
 februm curatione non esse necessarium, imo plus si venæse-
 ctio instituat, eandem laboranti nocere quam prodesse exi-
 stimet, *l. de inaudita februm doctrina. c. 4.* ut GEHEMA
 inter remedia mortifera eandem referre non erubescat: sua
 tamen venæsectioni apud prudentiores adhuc laus & dignitas
 constat, ejusdemque usus legitimus perquam salutaris sem-
 per deprehenditur. Equis enim est, cui ignotum, ab HIP-
 POCRATIS temporibus evacuationem per sanguinis missio-
 nem magno semper fuisse in pretio, & *1. aph. 22. & 4. 1. 10.*
 non ad solas alvi evacuationes esse restringendos, sed de tur-
 gescentis sanguinis, sive mole sive motu peccantis anomaliis,
 etiam in malignis sâtis haud raro manifestis intelligendos.
 Tanta enim in plethoricis haud raro est turgescencia, ut ab ista
 distensione ad molis sublevationem vasorum extremitates rum-
 pantur, & vel narium vel aliæ hæmorrhagiæ, quidni ipsæ etiam
 petechiæ suboriantur, siquidem hæ nihil aliud sunt, quam par-
 ticularum sanguinis purpurei, aut plus minus corrupti e va-
 sculorum capillarum extremis factæ eruptiones. Nec ignota
 sunt exempla, ubi ægri in pueritia aut juvenili ætate, & ple-
 thorico habitu constituti, & continua febre correpti, ex so-
 lius tempestivæ venæsectionis neglectu, maculis purpureis
 per pectus, brachia, dorsum dispersis picti, narium hæmorrhæ-
 gia lethali interierunt, qui tamen tristes eventus per sangui-
 nis

nis ad orgasmum proclivis, & quantitate nimia peccantis missionem sub initium morbi factam, præcaveri potuissent.

Neque tamen ego in ea sum opinione, venæsectionem aut semper, aut quocunque tempore convenire in petechialibus aut malignis aliis quibuscunque: quamvis non nesciam, esse inter Medicos etiam magni nominis non paucos, qui & in ipsa peste, summo scilicet malignitatis gradu hoc remedium adhibere non dubitarunt. SEPTALIUS pestis Massiliensis 1575. & 1567. grassantis meminit, in qua se sanguinem feliciter eduxisse, multosque ita a præsentissimo vitæ periculo liberasse refert: animadv. Med. l. 5. n. 36. Nescio vero an non huc applicari queat hoc, quod de febribus petechialibus, in quibus præsentibus etiam exanthematibus venæsectionem non adeo esse formidandam statuit GERBEZIUS, quoniam, testante experientia, supervenientes nonnunquam, etiam post macularum eruptiones narium hæmorrhagiæ licet copiosissimæ saluberrimæ ut plurimum existant, nullamque inde factam fuisse macularum retrocessionem, aut ægros se deterius habuisse, sed tolerantius. Concludit igitur, febres illas non adeo malignas fuisse, etsi fuerint adeo contagiosæ, ut simul plures in eadem domo, & non raro omnes interfecerint. *Eph. N. C. Dec. 3. ann. 1. Obs. 138.* Quidquid autem horum est, si quæstio occurrit, an venæsectio in febribus malignis, præsertim petechialibus, imprimis in ætate juvenili plethoricis, sub morbi initium conveniat nec ne? *Celeberrimus* HOFFMANNUS Halensium Prof. Primarius, cujus eruditioni & maturæ experientiæ ego multum tribuo, ejusdemque sententiæ subscribo hac in re: nullum esse dubium V. S. in tempore institutam magnum esse præservativum in corporibus plethoricis, præsertim si solennes alias evacuationes cessaverint, aut insufficientes evaserint: nec in iis omittendam esse, ubi ejusmodi corpus plethoricum de contagio aliquid vel vitio ex aere, vel ab alio febris petechiali decumben-

te, vel sua sponte hauserit, modo id statim fiat in morbi principio. *Medic. consultat.* part. 3. p. 34. Nam omnis plethora, sive universalis illa fuerit, sive particularis, sui indignat imminutionem, idque tanto magis, si cum morbo magno concurrat, ægerque florenti ætate, roburque adsit, testante GALENO *de curand. ration. per sanguinis missionem c. 9. & 4. de ration. vict. in acut. 19.* Quin etiam solo motu, vel aucto, vel imminuto aut depravato peccans sanguis, venæsectionem indicat. Nemo igitur negaverit usum maximum, evacuationis hujus artificialis etiam subinde in malignis, quanvis caute hic procedendum, & non nisi summa urgente necessitate, seu plethora vel aliis circumstantiis & symptomatibus, quorum nonnulla, etiamsi morbus ipse ad sui profligationem non opus habeat sanguinis missione, ad illorum quandam mitigationem venæsectionem postulant. Placet hac in re sententia APINI celeberrimi: hic postquam in pereleganti febris epidemiæ anno 1694. & 95. grassantis historica relatione contra venæsectionem in illa constitutione inutilem non solum, imo noxiam graphice declamaverat, tandem p. 61. inquit: fieri etiam tali constitutione posse, ut V. S. aliquando requiratur, ut in foemina prægnanti calidioris temperamenti, in qua longe alia symptomatum facie conspicendum se dederit morbus, cui utiliter suo consilio vena fuerit aperta. Adeo, subjungit ex CICERON. *epist. famil. L. 1. ep. 9.* non præstantibus in re quoque medica gubernanda Viris, laudata est in una sententia perpetua permansio, sed ut in navigando tempestati obsequi artis est, sic in curando cum notata velificatione assequi possis propositum, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem cœperis potius, quam, eo commutato, quo velis tandem pervenire.

Videmus ex his, quæ modo sunt dicta; neque in malignis venarum apertionem omnino tanta cum formidine plane rejiciendam esse, modo id cum debita cautione, sub legitimis

timis indicationibus contingat. Quod si enim spontaneæ hæ-
morrhagiæ ut crises laudabiles, & cum euphoria contingere
videmus, non solum in gravissimis doloribus capitis, sed et-
iam in febribus acutis, imo malignis, morbillis, variolis, pe-
techiiis, quæ per narium hæmorrhagiam critiche subinde sol-
vuntur, quidni licebit sub iisdem circumstantiis, necessitate
urgente naturam imitari, & artificialibus ejusmodi sanguinis
evacuationibus morbum si non solvere penitus, attamen sal-
tem mitigare & ad inducias disponere? Cur autem in malignis
plerumque pessime cedat venæsectio? Hoc inde provenire ar-
bitror, quod nulla sæpissime adsit plethora, & sanguis non adeo
abundet, unde vires magis exhauriuntur quam sublevantur;
vel sero nimis, exhaustis viribus, eadem instituitur; aut in
quanto peccatur; aut ratione ætatis, temperamenti, loci, tur-
gescentiæ, congestionis, error quidam, qui corrigi potest dif-
ficillime, committatur. Sin vero sub legitimis circumstantiis,
omnibusque hisce rite perpensis, tamen V. S. infeliciter cedat,
nec per eandem morbus tollitur, sed æger moritur, id certe
nec medico nec sanguinis missione tribuendum esse pruden-
tiores existimant, quamvis vulgus plerumque venæsectionem
vel neglectam, vel administratam inculare soleat, quasi ve-
ro non aliæ sint causæ, mortem accelerantes, hominique
certus vivendi terminus sit constitutus, quem etiam admini-
strata V. S. vel eadem omiſſa nunquam transcendere potest.
Multo minus culpari poterit sanguinis missio, in juvene ple-
thorico, e Gallia ante septimanas paucas reverso; contraxe-
rat ille post motus vehementes per plures horas continuatos,
& vini licet generosioris frigidam ingestione, febrem conti-
nuam, altero statim die ingruentem, cum summâ inquietu-
dine & levi ac interrupto delirio: pulsus frequens est & du-
rus, urina flammea, fauces aridæ. Altero ab invasione die
vena in brachio secatur, mitescentibus tantisper calore & de-
lirio, ita ut tertio & quarto die præter jectitationes aliquanto

melius & satis bene pro morbi ratione habere sibi metipsum visus fuerit. Sed circa vesperam ejusdem diei, cum nullo modo quietus in lecto permanere posset, cohibita in quavis momenta transpiratione calor augetur, summumque & fere furiosum delirium die ab invasione quinta continuo ad est, & sexto circa horam quartam matutinam lethargo quasi correptus, longiori somno sese accingeret, & naturam tandem debitum solveret. Aderat hic sine dubio febris inflammatoria, sanguinis missionem necessario exigens, aderat summa plethora, & morbus magnus, aderant vires & naturam robur, quare venesectione summe necessaria in morbi principio judicabatur, etiamsi malignitas quaedam latuisset, cujus tamen nec durante morbo, nec post mortem ulla vestigia apparuerunt. Longe vero alia ratio est februm intermittentium, quarum fomes in primis vis ut plurimum haret, aut non tam ex vitio sanguinis, in quantitate & motu, quam qualitate ejus seu cacochymia dependet. Equidem venesectione parca & frequens celebratur a Gallis, & WALÆUS medici in Gallis meminit, qui 15. vel 20. vicibus, spatio annuo sanguinem sibi metipsum emisit, & ita cacochymiam feliciter mutavit. Qualis tamen medendi ratio nec experientiam, nec rationi convenire videtur, siquidem per venesectionem intermittentes typum saepe in continuum mutant, id quod in febris istis erraticis, ultra annum spatium in his Ducatibus populariter grassantibus maxime verum esse pluribus propediem declaraturus, nunc ea saltem memento habeo, quae pro more in Facultate recepto praemonenda sunt, de vita & studiorum ratione Nobilissimi & Clarissimi

Dni. GEORGII KRYSINGII,

Medicinae Candidati, & in Patria Practici,

quae ex relatione ejusdem & verbis fere propriis hic consignare placuit. Natus est Flensburgi, nobilissimo illo emporio, in ipsius Ducatus Schlesvicensis visceribus, ad sinum maris Balthici sito, hincque non navigationibus tantum maxime opportuno, verum opulenta quoque commerciorum frequentia dudum satis inclyto;

Hic

Hic DEI O. M. munere anno post recuperatam per Christum Salu-
tem MDCCII. Die Mensis Septembris decimo in lucem vitam-
que exiti communem, Patre, Viro Nobilissimo & Experientis-
simo, Dño BALTHASARE KRYSINGIO, Medicinæ Doctore &
tunc temporis in patria Practico: Matre vero Nobilissima & pietate
alisque sexus sui virtutibus decoratissima Matrona, MARGARE-
THA DOROTHEA, ex antiqua THOR STRATENIORUM stir-
pe oriunda. Simulac vero aliqua ingenii vis in eo apparuit, præter
studia recti pique moris, cum uterque Parentum nihil officii ac cu-
ræ in eo prætermisit erudiendo, tum sollicitus præsertim Genitor
tanto solertior in se formando comprobavit fidem, quanto cer-
tior spem videbatur concepis-
se, fore ut ipsius vestigiis insistens,
Arti Salutari sibi tantopere adamatæ incumberet. Hinc nulli non
solum Flensburgi is pepercit labori, solidiorem ut ipsi viam monstra-
ret, qua rudimentorum bonarum artium cognitionem sibi acqui-
reret necessariam, sed tantum quoque absuit, ut, postquam anno
hujus seculi decimo tum alias ob causas, tum præsertim ut immatu-
ram conjugis amatissimæ jacturam eo æquiori animo ferre sensim
assuesceret, patriam Civitatem cum Alma Lubecensium Republica
commutandi animum subierat, ab eodem hoc in eo perpoliando
studio sese abduci fuerit passus, ut potius nova hæc sedes, nova &
manifestiora quotidie fere amoris paterni de progressu studiorum
filii hujus sui summe solliciti signa exhiberet. Rite itaque illis, quæ
maxime utilia videbantur literarum fundamentis, fidelissimi hujus
Præceptoris ductu positus, author idem nostro fuit suasorque, ut
illa ornamenta & Præsidia eruditionis, quæ ab humanitatis & phi-
losophiæ doctrina petuntur, sibi compararet, & denuo proprio in
hoc campo emetiendo ita prævit exemplo, ut discipulus vestigiis
illius incedere annitens optatam, quamvis non æquo semper gres-
su, paulatim edisceret, tandemque ad ipsam medicinam sese appli-
cavit, *Physicæ, physiologiam, Botanicam, Anatomiam, Chymiam jungens,*
unamquamque harum disciplinarum ita tractans, ut non tam in
cortice tantum, quod ajunt, hæreret, sed ad intimiora earundem
penetrare allaboraret. Quin ad ipsam *praxin* pius quondam Geni-
tor, traditis antea præceptis necessariis, iisdemque ex genuinis
Medicinæ Dogmaticæ principiis deductis, quoties occasio ita fere-
bat, vel alia ancipiti morbo succurrendi occasio offerebatur, comi-
tem eum sibi non solum adjungebat, sed & deinceps, ut quæ re-
media gravioribus æque ac aliis morbis essent æque commoda. &
ma-

magis utilia, proprio ausu suppeditaret, postulabat, quæque forsân peccata erant, corrigebat facilis atque emendabat. Haud præmaturum nunc optimo Parenti visum fuit, ut Academias adiretquem adeo egregiis studiis ipse jam perpoliverat filius, quare anno vigesimo secundo Juliam Academiam adiit. Exoscultatus jam olim erat scripta nitidissima & eruditissima Professorum publicorum summa cum laude in hoc bonarum artium & scientiarum emporio docentium, ast totus nunc gaudio perfusus erat, cum præsentem nunc eos audire, & collegiis eorundem erudiri data sit occasio luculentissima: Laudat imprimis Experientissimi Dni. DR. HEISTERI diligentiam in anatomicis & chirurgicis, ex cujus demonstrationibus doctissimis multa egregia hausit. Dolet vero huc usque, quod propter tristissimum Parentis obitum aut commorari hic diutius, aut studiorum metam ibidem contingere non sit datum. Contigit casus ille acerbissimus anno vigesimo quinto, septimo die mensis Junii, & evocavit nostrum iterum in Civitatem patriam, quorum & Pater paulo ante se contulerat, ut huic ultimum amoris & observantiæ filialis officium præstaret, funusque ejus rite deducendum curaret, reliquisque negociis domesticis, quantum opus erat prospicere posset. Factum inde est, ut hac ratione DEO O. M. viam quasi monstrante, ab illo tempore in patria commoratus, praxi Medicæ sese applicuerit, ut patriæ dulci intervire & proximo medelam afferre possit. Quo vero hoc tanto majore cum confidentia fieri possit, nostram hanc accessit Academiam, & ad consueta examina admitti a Facultate nostra modeste petiit, exemplum Parentis optimi, Viri sane eruditissimi, & longiore vita digni, sequutus, cui Doctorales honores & privilegia summa cum laude eadem hæc nostra concessit Facultas. Tanto lubentius igitur Candidatum hunc nostrum diebus Martii mensis 27. & 28. anni superioris ad consueta examina admisimus, eundemque suo merito dignum hisce honoribus invenimus, quare licentiam disputandi prompte illi concedere haud dubitavimus. Hunc in finem elegantissimam conscripsit dissertationem, *de Vulneribus arteriarum in artubus, sepe funestis, raro letalibus*, die 17. Novembris, horis locoque consuetæ publice ventilandam. Ad actum hunc Omnes Omnium Ordinum Præceteros, generis & munerum Dignitate conspicuos, Musarumque patronos omnes, Civesque Academicos ad audiendam solennem hanc disputationem quo par est cultu & benivolentia rogo atque invito. P. P. 13. Nov. MDCCXXVIII.

✠ : (o) : ✠

ULB Halle
004 367 324

3







FACULTATIS MEDICÆ DECANUS ³⁰
WILHELMUS HULDERICUS

Saltschmiedt/ 1728,4

MED. DOCTOR ET PROF. PRIMAR. PHYSICÆ EXPERIM.
ORDINARIUS,

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

VIRI NOBILISSIMI ET CLARISSIMI

GEORGII KRYSINGII,

PRACTICI FLENSBURGENSIS,

DE

VULNERIBUS ARTERIARUM

IN ARTUBUS SÆPE FUNESTIS,

RARO LETHALIBUS.

PRO GRADU, ut vocant, SUMMISQUE

IN ARTE HONORIBUS, JURIBUS ET
PRIVILEGIIS

RITE MAJORUMQUE MORE OBTINENDIS.

DIE XVII NOVEMBR.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PUBLICE ET SOLENNITER HABENDAM,

PRÆVIA DECENTI INVITATIONE

INDICIT.

P. P. KILIE HOLSAT. DIE XIV. NOVEMBR. M DCCXXVIII.
SUB SIGILLO FACULTATIS.